



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. II. Deo nihil eße occultum, ei se confiteri, ut erubescat de se, & abjiciat se, illum vero eligat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

V S V S.

Sola spes bonæ conscientiæ sperantis se esse sine
macula peccati mortalis, verum gaudium parit.
Res vero aliæ, cum ad salutem nihil sine gratia
Dei conferant, nec gaudium afferre possunt so-
lidum, cum habentur, nec dolorem debent, cum
amittuntur.

C A P. II.

*Deo nihil esse occultum, ei se confiteri, ut
erubescat de se, & abjiciat se, illum vero
eligat.*

1. **E**T tibi quidem Domine, cuius oculis
nuda est abyssus humanæ conscienc-
tiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nol-
lem confiteri tibi? Te enim mihi abscon-
derem, non me tibi. Nunc autem, quod ge-
mitus meus testis est, displicere me mihi, tu
refulges, & places, & amaris, & desidera-
ris, ut erubescam de me, & abjiciam me,
atque eligam te, & nec tibi, nec mihi pla-
ceam, nisi de te.

2. Tibi ergo Domine manifestus sum.
quicunque sim, & quo fructu tibi confitear,
dixi. Neque enim id ago verbis carnis & vo-
cibus, sed verbis animæ & clamore cogita-
tionis, quem novit auris tua. Cum enim
malus sum, nihil est aliud confiteri tibi,
quam displicere mihi. Cum vero pius, ni-
hil est aliud confiteri tibi, quam hoc non
tribuere mihi: quoniam tu Domine bene-
dicis justum sed prius eum justificas impi-
um. Confessio itaque mea Deus meus in
conspectu tuo tibi tacite fit, & non tacite;
tacet

tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non à me tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audis à me, quod non prius mihi tu dixeris.

N O T A E.

- a *Te enim mihi absconderem, non me tibi qui peccata sua Deo occultare conatur, intellectum suum obscurat, ne Deum cognoscere, & gratia ejus illustrari possit, quare sibi Deum, non se Deo abscondit.*

V S V S.

Solidæ humilitatis principium hoc est; *in malis sibi displicere tanquam suis, in bonis Deo gratias agere, tanquam alienis* quia ab ipso est omne bonum nostrum. Valdeque cavendum est, ne qui in virtute proficit, sibi de profectu vane placeat.

C A P. III.

Confessum se coram hominibus, quis fuerit, & præterita mala sua, ut infirmi extentur ad spem misericordiae.

I. a **Q**uid mihi ergo est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire, qui sim, qui nolunt à te audire, qui sunt? Et unde sciunt, cum à meipso de meipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit *hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Si autem à te audiant de scipis, non poterunt dicere: mentitur domini

¹ Cor. 2,
11.